

ter se habet admixtum, consequens est quod nullius accidentis sit susceptivum. Hoc autem simplex unum et sublime est ipse Deus.

Deinde cum dicit, "Omnis diversitas discors; similitudo vero appetenda est;," ponit duas conceptiones pertinentes ad appetitum, ex quo definitur bonum. Nam bonum dicitur quod "omnia appetunt. Est ergo prima conceptio, quod omnis diversitas est discors, et similitudo est appetenda."

Circa quod considerandum est, quod discordia importat contrarietatem appetitus: unde illud dicitur esse discors quod repugnat appetitui. Omne autem diversum, inquantum hujusmodi, repugnat appetitui: cujus ratio est, quia simile augetur et perficitur suo simili. Unumquodque autem appetit suum augmentum et perfectionem; et ideo simile, inquantum hujusmodi est unicuique appetibile: et pari ratione diversum repugnat appetitui, inquantum diminit, et perfectionem impedit: et ideo dicit, quod "omnis diversitas," est "discors," idest ab appetitu discordans; "similitudo vero est appetenda." Contingit tamen per accidens quod aliquis appetitus abhorret simile et appetit diversum sive contrarium. Nam sicut dictum est, unumquodque primo et per se appetit suam perfectionem, quae est bonum uniuscujusque, et est semper proportionatum suo perfectibili, et secundum hoc habet similitudinem ad ipsum. Alia vero quae sunt exterius, appetuntur vel refutantur inquantum conferunt ad propriam perfectionem: a qua quidem deficit quandoque aliquid per defectum, quandoque autem per excessum. Nam propria perfectio uniuscujusque rei in quadam commensuratione consistit: sicut perfectio corporis humani consistit in commensurato calore; a quo si deficiat, appetit aliquid calidum per quod calor augetur: si autem superexcedat, appetit contrarium, scilicet frigidum, per quod ad temperamentum reducatur, in quo consistit perfectio conformis naturae. Et sic etiam unus figulus abhorret alium, inquantum scilicet aufert ei perfectionem desideratam, scilicet lucrum.

Secundam autem conceptionem ponit ibi, "Et quod appetit aliud, tale ipsum naturaliter esse ostenditur quale est illud ipsum quod appetit:," quae concluditur ex praemissis. Si enim similitudo per se est appetenda, consequenter id quod appetit aliud, ostenditur tale naturaliter esse quale est hoc quod appetit, quia scilicet naturalem inclinationem habet ad id quod appetit: quae quidem naturalis inclinatio quandoque sequitur ipsam essentiam rei, sicut grave appetit esse deorsum secundum rationem suae essentialis naturae; quandoque vero consequitur naturam alicujus formae supervenientis, sicut cum aliquis habet habitum acquisitum, desiderat id quod convenit ei secundum habitum illum. Ultimo autem epilogat, et dicit, quod suffi-

ciunt ad propositum ea quae praemissa sunt; et quod ille qui prudenter interpretatur rationes dictorum, poterit unumquodque eorum adaptare congruis argumentis: applicando scilicet ea ad debitas conclusiones, ut patebit in sequentibus.

LECTIO III.

TEXTUS

Quaestio vero hujusmodi est. Ea quae sunt, bona sunt: tenet enim omnis¹ sententia doctorum, omne quod est, ad bonum tendere. Omne autem tendit ad simile. Quae igitur ad bonum tendunt, bona² sunt. Sed quemadmodum bona sint, inquirendum est, utrumne participatione, an substantia. Si participatione, per seipsa nullo modo sunt bona: nam quod participatione album est, per se, idest eo quod ipsum est, album non est; et de ceteris qualitatibus eodem modo. Si igitur participatione sunt bona, ipsa per se nullo modo bona sunt. Non igitur ad bonum³ tendunt. Sed concessum est. Non igitur participatione bona sunt, sed substantia. Quorum vero substantia bona est, id quod sunt, bona sunt. Id autem quod sunt, habent ex eo quod est esse. Esse igitur ipsorum bonum est. Omnium igitur rerum ipsum esse bonum est. Sed si esse bonum est, ea quae sunt, in eo quod sunt, bona sunt, idemque est illis esse quod bona esse.⁴ Substantialia igitur bona sunt, quoniam non participant bonitatem. Quod si ipsum esse in eis bonum est, non est dubium quin⁵ substantialia, cum bona sint, primo sint bono similia; ac per hoc ipsum bonum⁶ erunt: nihil enim illi praeter seipsum simile est. Ex quo fit ut omnia quae sunt, Deus sint: quod dictu nefas est. Non sunt igitur substantialia bona, ac per hoc non in⁷ his est esse bonum. Non igitur in eo quod sunt, bona sunt.⁸ Sed nec participant bonitate: nullo enim modo ad bonum tenderent. Nullo igitur modo bona sunt.

EXPLANATIO

Praemissis quibusdam principiis quae sunt necessaria ad propositae quaestionis discussionem, hic accedit ad questionem propositam; et circa hoc tria facit. Primo proponit quaestionem; secundo adhibet solutionem, ibi, "Huic quaestioni talis poterit adhiberi solutio:," tertio excludit quasdam objectiones contra solutionem, ibi, "At non alba in quod sunt alba, esse oportebit ea qua alba sunt.," Circa primum duo facit. Primo

¹ Al. communis.² Al. additur ipsa.³ Al. ad bona.⁴ Al. illud est esse quod bonum esse.⁵ Al. additur etiam.⁶ Al. bona.⁷ Al. deest in.⁸ Al. non sunt igitur in eo quod sunt bona.